(11.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS GRAHAM MAXWELL,

Scotus,

CHIRURGUS,

SOCIET. PLIN. EDIN. SOC.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

To Dr Woodford with
the authors best regards

AVUNCULO OPTIMO,

JACOBO BELL ARMIGERO,

VIRO

VITÆ REIPUBLICÆ UTILISSIMÆ,

CUNCTIS VIRTUTIBUS

EXORNATO,

OMNIUM QUI NORUNT DELICIIS,

OMNIUM QUI EGENT PRÆSIDIO ;

ITEMQUE,

PULTNEY MALCOLM, EQUITI AURATO,

DE BALNEO MILITI,

CLASSIS BRITANNICÆ E THALASSIARCHIS

UNI,

QUEM PATRIA SUA ADMIRATUR,

AMICI AMANT,

HOSTES TIMENT ;

HÆCCE DISSERTATIO,

ILLI PIETATIS ARGUMENTUM,

HUIC REVERENTIÆ TESTIMONIUM,

UTRISQUE

ANIMI HAUD INGRATI INDICIUM,

AB AUCTORE

DEDICATUR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

Auctore Gulielmo G. Maxwell.

Morbus de quo agere statuimus, in classe "Pyrexiæ" ordineque "Exanthemata" Culleni Nosologiæ reperitur, verbisque talibus inibi definitionem accipit: "Synocha contagiosa cum sternutatione, epiphora, et tussi sicca rauca.

"Quarto die, vel paulo serius erumpunt papulæ exiguæ, confertæ, vix eminentes, et post tres dies in squamulas furfuraceas minimas abeuntes."

WILLANUS Cel. tres species hujus morbi agnoscit. 1mam, Rubeolam vulgarem. 2dam, Rubeolam sine catarrho. 3tiam, Rubeolam nigram.

1mo, *De Rubeola vulgare.*—Febrem Rubeolæ præmonitoriam, præcipue diebus tertio et quarto, teneritudo inflammatioque quædam oculorum et turgescentia palpebrarum levis, simul cum profluvio humoris serosi, et ex oculis et e naribus sternutationem excitante, comitantur ; adest quoque tussis crebra, sicca, cum quadam raucitate et dyspnœa neque raro asperitate vel levi faucium abrasione. Hæc symptomata fere juniores quam adultos, delirio quoque noctu miti nonnunquam accedente, magis urgent.

Exanthema die quarto super fronte et mento, deinde per faciem reliquam, sese prodere incipit ; et postero mane super collo et pectore ; sub vesperem per corporis truncum, demumque per partes extremas serpens, conspiciatur. Hoc die efflorescentia faciei vividissima ; postero die autem evanescere et subsidere incipit ; dum contra maculæ valde rubent ; et hæ quoque, pari modo, die septimo, deflorescunt : eæque, quæ manus tergum obsident, et fere novissimæ (die febris interdum sexto vel c-

tiam septimo), haud semper ante octavum caducæ fiunt. Nono decoloratio tantummodo relinquitur, quæ ante decimum diem finitum evanescit. Magni interest, si ad diagnosin spectemus, formam exanthematis sedulo annotare. Primo sub forma labecularum discretarum, rubrarum et prope circularium, aliquando areolis morsuum culicum communibus minorum, sese in conspectum prodit. Prout hæ numero augescunt coëunt, maculasque exiguas figura inæquali, at imagini semilunari vel crescenti propiores, efficiunt. Inter has maculas puncta rotunda singula apparent, intervallaque cutis ad naturam coloratæ. In vultu leviter eriguntur, adeo ut tactu sensum superficia inæqualis suggerant. Facies tota quidem sæpe tumefactionem, quæ facile percipi potest, eruptione vigente, accipit, et aliquando palpebræ adeo tument, ut visum per diem unum vel alterum, quod in variola accidit, præcludat; partibus vero corporis cæteris, quatenus videatur, haud omnino maculæ elevantur.

In compluribus tamen, ut a Dre WILLANO notatur, vesiculæ miliares, efflorescentia valente, super collo, pectore et lacertis, papulæque in carpis, manibusque et digitis conspiciantur. Symp-

tomata catarrhi febrisque etiam eruptione proveniente, exacerbantur; febris tamen fere, hac abeunte, decedit. Diarrhœa sub hoc tempus, quæ cætera indicia sublevat, plerumque accedit.

2do, *Rubeola sine Catarrho*.—Hæc minime ægrotantem ab altera forma Rubeolæ sævioris aggressu immunem præstat. Decursus eruptionis et forma eadem ac in Rubeola vulgari existunt; at nullus catarrhus, nulla ophthalmia vel febris comitatur.

3tio, *Rubeola Nigra*.—Hoc nomen formæ morbillorum circa diem septimum aut octavum insolitæ, ubi exanthema subito, colore luteo admisto, livescit, Dr Willanus attribuit. Incommodo et periculo caret, acidisque mineralibus post hebdoma diesve decem submovetur.

Rubeola quavis tempestate anni per contagium grassari potest, hominesque ætatis cujuslibet, at juniores facilius, variisque violentiæ gradibus, invadit, et haud raro forma adeo leni ut non, quo minus affectum postea Rubeola vera aggrediatur impediat. Multa exempla, et ex his aliquot a Clar. Dre. Baillie memorata, quae tale dictum

comprobent, memoriæ traduntur. Pariter ac cæteræ febres contagio grassantes, hæc notas temporibus diversis haud parum diversas habet. Alia tempestate levior, alia sævior, alia denique vi mediocri fuerit, quartaque etiam omnes species suas a simplicissima ad maxime vehementem susceperit; attamen plerumque formæ mitiores et mediocres multo sæpius, quam sævior, accedunt; epidemica enim aliquando tantum, ubi hæc forma præ cæteris eminet, accedit. Quæcunque causæ hanc typi diversitatem efficiant, finales saltem ejus, sunt, primo, quod morbillos alias excitatio lenis comitetur, quæ viscerum inflammatione haud inducta, incipit et desinit; et secundo, quod alias, morbillis incipientibus, progredientibus vel decedentibus, congestiones internæ aut inflammationes adjiciuntur, quæ finem faustum vel infaustum, pro gradu earum aut diuturnitate, aut modo quo aggrediuntur, habeant. Hic morbus, æstate, quando temperies modica est, lenissimus, at vere et hieme, quum tempestas cœli frigida est, et sæpe mutatur, maxime molestus invenitur; adeoque a constitutione quam invadit, moderatur, ut omnis ejus varietates in liberis familiæ, vel saltem vicineæ ejusdem, conspici queant. Siquando valet, igitur, ad conditiones cœli, constitutionesque

illorum qui ejus aggressibus objiciuntur, respicere oportet: hæ enim duæ sunt causæ præcipuæ quæ viri contagiosi effectus mutant, quibus porro morborum epidemicorum omnium notæ præ cæteris insignes referantur.

Tempestate insalubri, juniores etiam si robustos a frigore tueri alvumque facilem præstare, priusquam infectio attigerit, oportet; hæ enim præcautilæ, cum diæta simplici et concoctu facili, ad graviores morbi aggressus arcendos haud parum conducunt. Discrimen periculi semper in iis liberis maximum erit, qui jam aliquo morbo interno laborant, vel ad talem, antequam morbillis plectuntur, proclivitatem habent; at præsertim si is morbus, vel ea proclivitas, in organis pulmonalibus sedem suam habeant. Rebus enim sic se habentibus, cum contagium suos effectus edere incipit, vis actionis morbosæ in partem prius affectam expenditur, idque velocitate, cui aliquando, quæcunque curatio usurpata fuerit, haud omnino resisti potest. Ubi liberi aliquo morbo prius laboraverint, vis constitutionis sæpe adeo minuitur, ut rationem medendi in Rubeola tractanda validiorem persequi vix tutum evadet. Multo præstat, si fieri potest, tales eo loco quo morbus sævit amo-

vere, et sic infectionem, donec tempus faustius evenerit, evitare. Drc Armstrong, in suo de Rubeola opere affirmat, credere se aliquos subito cerebro congesto hoc morbo confici, quume xanthema nullum super cute summa apparuisset. In his exemplis non potest esse, quin vires insitæ reactionem instituere nequiverint, quæ istarum congestionum venarum remedium naturale existit. At hæc reactio nimis provecta morbum formidandum, nisi arte sublevetur, ipsa efficiat. Hæc exempla, autem, minime frequens sunt, in hac regione saltem, ubi natura ad reactionem inducendam non valet; et quatenus Rubeolam attinet, exempl ahac causa effecta lethalia adhuc pauciora sunt. Nemo, tamen, congestionem venosam levem sub initio hujus morbi adesse, negabit; hinc, enim, pallor vultus, pulsus debilis, capitis molestia, intestinorum torpor, depressioque generalis, oriuntur.

Hæc indicia plerumque haud diu perstant, aliaque sequuntur, quibus pro sanguinis defectu, nimis ejus arteriis inesse monstratur. Hoc stadium, quod reactionis est, ac prius haud adeo periculosum est. Dris Armstrong hæc verba sunt: "If it were not for the arterial reaction which takes place in idiopathic fevers, many patients would

die of apoplexy, or of an engorgement of some thoracic or abdominal viscus."

Porro, exempla lethalia e defectu reactionis arteriosæ rarissima esse dicit; in iis autem, quæ conspexit, cerebrum pulmonesque congesta inventa fuisse. In quibusdam ex his, pulmones valde oppressos esse affirmat; et ex Hippocratis præsagiis unum est, Delirium, quando inter acutos pulmonum morbos accidit, malum esse. Auctor jam supra citatus, symptomata, antequam exanthema sese prodiderit, adeo ambigua esse, ait, ut morbillos veluti aggressum hydrocephali acutum habuerit. Siquando membrana bronchiorum mucosa in Rubeola inflammatione afficitur; facies pallescit, labra sunt fere coloris lividi seu sub-cœrulei, partesque cutis aliæ frigidiores aliæ quam e natura calidiores inveniuntur; dum puer ægrotans, si attente spectetur, spiritum, per pituitam in viis ejus sitam, trahere audietur, pectusque laboriose levari, simul cum vultu solicito pulsuque gravato conspiciatur.

Inflammatio partis generis pulmonalis cujusvis, magna inquietudine, actioneque septi transversi et musculorum abdominis laboriosa, itemque spiritu oppresso, et quadam insigni vultus anxietate no-

tatur. Cadaverum eorum, qui his symptomatis moriuntur, sectio plerumque signa inflammationis in aëris itineribus ostendit, bronchiaque morboso sæpe pure commisto onerata reperientur. Proxime post pulmonem, hepar inflammationi maxime obnoxium est, quæ in eo organo fere tam obscura est, ut sub indiciis pectoralibus lateat; ea vero, vel morbus aliquis similis, ubi nausea aut vomitus post efflorescentiam productam, perstat, in ventre timeri queat; et siquando diarrhœa hoc tempore maturo supervenit, cum torminibus subinde redeuntibus spirituque accelerato, hæc quoque cum aliqua abdominis inflammatione commercium sæpe habet. Impotentia in latus sinistrum decumbendi, dolorque in regione jecinoris, hoc organum se male habere, certa signa existunt. Armstrong cerebri inflammationem Rubeola ad summum vigente, nisi exanthema subito recesserit, rarius accidere memorat; cujus profecto decessus subitus et intempestivus, sæpe alicui inflammationi internæ vel congestioni graviori ortum præbet. Quæ in iis hoc morbo demortuis videntur, naturam ejus inflammatoriam esse demonstrant.

In quovis ex tribus cavis magnis, sed sæpius in cavo thoracis, suos effectus miserandos edit, notæque inflammationis prægressæ in tunica meatuum aëris mucosa plerumque observantur. Congestio venosa quæque organi alicujus in iis qui repente e medio sublati fuerant, conspecta fuit.

In typo morbillorum mitiori, qui plurima exempla amplectitur, vix aliud, nisi alvum facilem præstare, frigusque vel calorem nimium effugere, fieri necesse est.

Opiatum parvum cum medicamento ex antimonio conjunctum, ad cubitum exhiberi potest; regimenque antiphlogisticum a medicis dictum, quam arcte persequi oportet: eadem curatio, si excitatio major evaserit, validior efficiatur. Attamen si, inflammationem urgentem subesse, pro explorato habeamus statim ad venæsectionem confugiendum est; et si præterea indicia ambigua fuerint, haud parum sanguinis detractione topica emittere debemus. Si non ægrum forte ad initium aggressus inflammatorii viderimus, cum sanguinis detractio generalis morbo provectiore effectum optatum minime præstabit, ad detractionem localem, laxantia, aliaque quæ inflammationi obstant, confugere oportet. Detractio generalis et topica, mag-

no cum beneficio simul adhiberi queant. Ætas ægri constitutioque respici debent, ideoque copia sanguinis mittendi judicio medici ex his derivato determinari. Post sanguinis detractionem generalem et topicam, vesicarium super sedem doloris imponatur; purgantia simul danda, præsertim si ulla ex visceribus abdominis inflammantur. Si viscera thoracis tantum inflammatione plectuntur, quæ laxa quam quæ acriter purgant meliora fient. Si membrana pulmonis mucosa afficitur, vomitorium antimoniale, haud parum levaminis afferet, portionesque antimonii tartarizati nauseam inducturæ laudatæ fuerunt. Doctor Armstrong usum balnei calidi, in pulmonum inflammationibus, sale repleti suadet. Balneum frigidum aliis profuit; aliis vero frigus summæ cuti admodum periculosum extitit.

Qui morbillis laborant in temperie gradum quinquagesimum inter et sexagesimum instrumenti Fahrenheitiani teneri debent; hæc enim calori æstatis ubi hic morbus fere mitissimus est, appropinquat. Diætam, dum æger convalescit, simplicissimam esse, neque ullum stimulantis aut pinguis in se habere oportet. Fere omnes auctores curationi supra memoratæ assentiunt, quamvis

quidam etiam in hac urbe vinum, cinchonam et cardiaca præcipiunt. Sequelæ morbillorum valde metuendæ sunt, præsertim si æger cinchona et vino refertus fuerit, ut in opere nuper edito laudatur.

Phthisis Pulmonalis, glandularum diversarum tumores, oculorum inflammatio; eruptiones supra cutem, Rubeolæ supervenire possunt, et curatione antiphlogistica tractari postulant.

Morbilli cum morbis quibusdam aliis confundi valent. A Scarlatina, oculo aquoso, hebete, gravato, catarrhi symptomatis, exanthemate minus late diffuso, partiumque cutis aliquarum tactus iniquior, in illis discernantur. In Variola febris eruptionem comitans haud ita sævit, oculi non adeo rubent, neque tam suffusi videntur, neque plerumque tumor adest, nequo tussis sicca, rauca. Pustulæ multo melius formantur, nec tam cito desquamantur, et in cute sæpe vestigia sua relinquunt.

Difficillimum est morbillorum prognosin certam præbere. Licet, autem, deducere quo melius symptomata, in stadio febris primario, insigni-

tæ fuerint, eo majorem reactionem secuturam fore. Hoc quoque ex adverso spectatum verum reperietur, renixus enim mitis erit, prout symptomata prægressa mitia fuerint; et dummodo hic morbus, ut supra et ab auctoribus cunctis laudatur, tractetur, Rubeolæ sequelæ, cæteris paribus, mites erunt.

Quæcunque causa vires constitutioni insitas comminuit, ad morbillorum impetum proclivitatem efficit; hujusmodi sunt, nimium caloris aut frigoris, ægritudo diuturna, animi angor, vel corporis labor nimius.

Causam Rubeloæ excitantem in contagio quodam proprio consistere, jam inter auctores plerosque constat; et Dr Home, Edinensis, Morbillos, pariter ac Variolam, per inoculationem propagari posse ostendit. Quinetiam indicia pulmonis affecti in iis tali modi infectis abesse dicitur; alii tamen inoculationem morbum vehementiorem inducere affirmant, et profecto hæc propagationis ratio minime in usu generali esse videtur.

FINIS.